



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. I. Hortatvr Iesvs Christvs ad perfectam omnium affectuum  
abnegationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

## TERTIA PARS.

## QVAE CONTINET

multa consilia ad Chri-  
stianam perfectio-  
nem compa-  
randam.

## CAP. I.

HORTATUR IESVS CHRIS-  
TUS *ad perfectam omnium affe-  
ctuum abnegationem.*



VICVNQVE sub vex-  
illo crucis meę militare,  
& me paciētem sequi de-  
creuistis, inclinate au-  
rem vestram in verba æ-  
ternæ vitæ meę, & sermones meos in  
medio cordis abscondite. Ego veni in  
mundum, non pacem mittere, sed gla-  
dium: vt separarem homines non so-  
lùm à rebus terrenis, quas nimio amo-  
re possident, sed etiam à parentibus, &  
amicis, & (quod maius est) à pro-  
prijs affectibus, & desideriis, quæ  
mergunt homines in interitum, & ani-

mas meo sanguine redemptas in æternam seruitutem pertrahunt. Hæc est prudentia iustorum, qui non modò renuntiant omnibus, quæ possident, ut me currentem sequantur; Verùm, & animas proprias oderunt, ut creetur in eis cor mundum, & spiritus rectus inuuetur in visceribus suis. Considerât enim, quid acciderit peccatoribus insensatis, qui nimis amarunt stultas animas suas: qui, sicut oues, in inferno positi sunt, & mors depascet eos. Propter quod fortes facti sunt in bello aduersum semetipsos, ut abnegantes impietatem, & omnia sæcularia desideria sobriè, & piè viuerent in me: & fidei corde, in tempore retributionis mihi dicere possent: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Vos ergo filij, qui vultis in Cælum ascendere de deserto mundi delitijs affluentes, abnegate vos ipsos, & deponentes omne pondus, leuate ad me manus puras, & immaculata corda mihi sacrificate. Neque durum vobis videatur, animam propriam, & omnia mundi bona relinquere, propter me. Licet enim modico

dico

dico tempore tristitiam habeatis; succedet expectata valde lætitia mea, qua gaudebit cor vestrum. Certè omnis disciplina in præsentem quidem, non videtur esse gaudij, sed mæroris: postea tamen viris exercitatis per eam fructum pacatissimum reddet iustitiæ. Ad vespere tenebrarum, mundi demorabitur fletus: & ad clarissimum apparentis gloriæ matutinum lætitia. Ne respiciatis, filij mei, consortium eorum, qui seminant in lachrymis, & in exultatione metent. Relinquire omnia confidenter, & affectus omnes abscindite propter me: & ego vita vestra, anima, & consolatio vestra, & tota vestri laboris merces ero.

## C A P. I I.

*Monet respondere diuinis inspirationibus.*

**E**GO sto ad ostium cordis, & pulso, cupiens introire, & requiescere in reclinatorio meo, vbi posui delicias meas. Hæc est desiderata valde requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, filij mei, quoniam elegi eam. Vos